

**Intumatio Et Epicedia In Immaturum Obitum ... Dn: Stephani Schützen/ ex argo
Bremensi, Qui in alma Rosarum Academia Anno 1609. 24. Octobris pie & placide
diem suum obiit Anno aetatis suae XXII. & D. 27. Octob. eiusdem M. solemniter
terra mandatus est**

Rostochii: Myliandrus, 1609


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774764678>


Druck Freier  Zugang



Sledanvs, C.,
in
St. Schütze.
Rostock, 1609.

30





33
INTVMATIO ET
EPICEDIA

In Immaturum Obitum

NOBILISSIMI ET DOCTIS-
SIMI VIRI-JUVENIS,

DN:

STEPHANI Schützen/
ex agro Bremensi,

Qui in alma ROSARUM Academia

Anno 1609. 24. Octobris

piè & placidè diem suum

obiit

Anno ætatis suæ

XXII.

&

D. 27 Octob. ejusdem M. solemniter
terra mandatus est



More jubente

Amore poscente

Scripta

à
commensalibus & amicis.


os so

ROSTOCHII

Ex Typographia Stephani Myliandri

Anno M. DC IX.

C 32



RECTOR
ACADEMIÆ ROSTO-
CHIENSIS
CHRISTIANVS SLEDANVS

S. S. THEOLOGIÆ PRO-
FESSOR.



*Ollicitè querenti, Vtrum-nè
Mors sit bonum, an malum? fluvius
Tulliana eloquentia, Lactantius elegan-
ter non minus, quàm piè respondet: qua-
litate[m] ejus ex vita ratione pendere.
Nam sicut vita bonum est, si cum virtute
vivitur; malum, si cum scelere: ita &
mors ex præteritis vita actibus est ponde-
randa. Ita sit, ut si vita in pietate sit transacta, Mors malum non
sit, quia translatio est ad immortalitatem: sin aliter, malum sit ne-
cesse est, quoniam ad æterna supplicia transmittit. Mors quidem,
quam homines timent ut malū, est separatio anima à corpore; Mors
autem vera, quam non timent homines, est separatio anima à Deo,
& plerumq[ue] cum timent homines istam, qua separat animam à cor-
pore, incidunt in illam, qua animam à Deo separat. Vita enim a-
nima, ut Augustinus ait, Deus est; Mors anima, peccatum; pec-
catum inquam non remissum, quod hominem ira Dei justissima atq[ue]
æternis supplicijs reddit obnoxium. Viraq[ue] verò mors per Chri-
stum Jesum, qui ut vitam habet in seipso, ita & nobis Christianis fa-
ctus*

Hæc est vita & resurrectio, tollitur potentissimè, ut ipse triumphando
 dixit: Ero mors tua, ô mors. Ex quibus indubitato conficitur id,
 quod volumus; Mortem eorum, qui sunt in Christo Jesu, minimè
 illis cedere in malum ac condemnationem; sed, si mihi cum Metho-
 dio loqui liceat, esse $\Phi\alpha\rho\mu\alpha\kappa\alpha\delta\iota\lambda\upsilon\lambda\omega\varsigma\ \kappa\acute{\alpha}\tau\alpha\tau\epsilon\sigma\sigma\alpha\iota\ \psi\upsilon\chi\eta\varsigma\ \kappa\alpha\iota\ \sigma\acute{\omega}\mu\alpha-
 \tau\omega\varsigma$, saluberrimum pharmacum, quo anima & corpus ab omni pec-
 cato & labe purgantur, dixerim. Neq; enim caro & sanguis in
 hac corruptissimâ natura corruptione est secundum Apostolicum effa-
 tum habilis, quæ hereditatem æternæ beatitudinis adeat; sed prius
 eam mutari, atq; absumptâ mortalitate, immortalitate fulgens vi-
 gensq; corpus reddi necesse est. Nam non corpora solùm nostra fra-
 gilia in morte placidè obdormientia speramus & omnino confidimus,
 certissimè revictura, suarumq; animarum pristina domicilia vi-
 cissim futura, sed nec animarum statum felicissimum & exopta-
 tissimum in dubium vocamus; quippe quæ nexu corporum per pec-
 cati contagium soluta, statim latissimo Dei conspectu in tranquillâ
 & gaudio perenni fruuntur, si modò fides est, ut est vel maximè,
 pace divinis oraculis habenda. Quæmadmodum enim non malè,
 sed benè vivere putamus, qui noctu in cubiculis & lectis suis mem-
 bra ad somnum componunt atq; suaviter dormiunt: sic piè mor-
 tuorum animas, non quidem planè redigi in nihilum, quod fuit
 ante nihil, sed ad beatissimam quietem, ut Scriptura loquitur, col-
 ligis eorumq; corpora tanquam in lectis ac dormitorijs suis requies-
 centia diem Resurrectionis latissimam in tranquillâ pace expecta-
 re, nos fides Christiana docet. Quâ in fide animus pius constitu-
 tus, potest non ad Mortis meditationem trepidare, sed potius
 cum B. Hieronymo exultare atq; erumpere in has voces: *Quantum*
lucrum mihi est mori, quoniam vivere deinceps meum Chri-
stus erit; ecce terrestris domus hujus habitationis dissolvitur, ut a-
lia succedat, non manufacta habitatio æterna in cælis; ecce, quod
mortale est, vestimento exuor, ut æterno induar: hucusq; peregrina-
natus sum, jam redeo ad patriam: ecce portum attingo, quem tan-
to desideravi desiderio: ecce de tenebris ad lucem, de periculis ad


securitatē, de pralio ad victoriam, de fetore ad odorem suavissimum vehor. Verè hic vivens mortuus sum, & jam verè vivificor; vita mundi non vita, sed mors, vita fallax, vita onusta, tristitijs, imbecillis & umbratica, vita mendax. O mors dulcis & jucunda, non certè mors, qua vitam veram largiris, qua fugas febres & vulnera, famem extinguis & sitim, &c. Quàm igitur benè cum Nobilissimo ac literatissimo Juvene, STEPHANO Schüsen, oriundo ex Episcopatu Bremensi, alumno nostræ Academia actum statuitis, qui ex hac mortali vitâ in immortalē vitam, tanquam ex terreno diversorio in cæleste hospitium, exul in veram patriam nudius tertius transmigravit, liber ab omnibus avocamentis carnis & impedimentis foris obvientibus, Deumq; in colendâ sanctorum Angelorum & hominum communionē æternam celebrans, inq; presentissimâ contemplationē totius Divinitatis, atq; fructu gloriæ divinæ immutabili plenissimè & constantissimè conquiescens. Cujus boni infinitas sic præcurrit mentes nostras, ut hic non possit comprehendis sic rapit, ut illic demum sit, comprehendenda, ubi comprehendere habere est. Si nihil aliud de nostro STEPHANO, tam piè mortem cum vitâ, malum cum bono, tenebras cum luce, tristitiam cum lætitiâ commutante dicerem; ex his tamen, qua diximus, satis superq; eluceret, illum & omnium bonorum laude commendandum, & æternâ memoriâ esse dignissimum. Natus est anno 87. supra millesimum quingentesimum, Parentibus verâ generis Nobilitate omniumq; virtutum laude Præstantissimis, Dn. HEINONE Schüsen, annis jam propemodum decem piè defuncto; & Mette Drewes Anno 1601. denatâ; quorum parentum animos paterna juxtâ & Christiana cura occupavit, ut suum hunc filium in primâ infantia Domino nostro JESU CHRISTO per sacratissimum regenerationis lavacrum adducerent, ut bonorum cælestium hæres scriberetur. Atq; infantilis ætatis annos vix egressus, Scholas triviales, Otterndorfianam in regione Hadelensi sitam, hinc Stadensem, inde Lunaburgensem, ac postmodum Magdeburgensem, Hallensem & Hamburgensem, ma-
tura

inro parentum & amicorum consilio adiit, in quibus prima primarum artium & pietatis vera fundamenta feliciter jecit, suamq; erga praeceptores observantiam, & in studijs industriam non nemini probavit. Nec à seipso fuit diversus, dum per annum huc in nostram Illustrem Scholam, tanquam ad uberiores studiorum mercatum concessit. Et quae duae res maximè commendant juvenem, Pietas & Modestia; ea ambae in ipsius pectore maximè elucebant. Pietatis indicium esse nobis omnino persuademus, quòd etsi animum ad augustissimum Jurisprudentiæ studium appulerat, majore tamen Codicis Biblici, quàm Justiniani legendi studio efferretur. Ad Modestiam omnes ejus erant mores compositi, unde & alij, quibus usus est familiarissimè, & cum primis Reverendus & Doctissimus Vir, M. PETRVS HINKELMANNVS, de Ecclesiâ Christi jamdudum præclare meritus, atq; deinceps amplius, quod in votis habemus, meriturus, amicus noster honorandus, cujus erat convictor & domesticus. præ cæteris habuit charissimum, ut, si Deus nostro STEPHANO b. m. vitam ad plures annos clementer prorogasset, utile ac salutare Ecclesiæ Dei & Reipub. Christianæ ac literariæ evasisset ornamentum. Verùm divina atq; ineluctabili sapientiæ aliud fuit visum consilium, dum hunc Nobilissimum juvenem in ipso flore ætatis ex hac afflictissimâ Academiâ in letissimam Beatitudinis Scholam transfudit, ut isthic æterna & cælesti gloriâ nobilitatus, in frequentissimo justorum cætu Candidatum, imò verò & Doctorem summum ageret, experimento scil. jam edoctus, quod Propheta olim prænunciavit: Colliguntur justi & veniunt in pacem, & requiescunt in cubilibus suis, quia rectè ambularunt. Nolim autem vos, ô JUVENES florentissimi, mirari, quod non potestis rimari, quæ causa sit, quare Deus vestri hujus Nobilissimi commilitonis filum resecarit celerius, tardius aliorum abrumpat. Seneca mortem indigitat portum ab omnibus petendum, à nemine refugendum, in quem si quis intra primos annos est delatus non magis queri debere, quàm qui cito navigio in portum venit. Eleganter id di-

Num intelligitis, sed magis piè ab Augustino dictum accepimus, quòd, qui cupiat dissolvi & esse cum Christo, non patienter moriatur, sed patienter vivas & delectabiliter moriatur. Quantum igitur nobis est cordi, quidquid boni est in Ecclesia Christi, id unanimes in communione Sanctorum, ad quam vocati sumus, procuramus, ut decurso hoc misero & laborioso stadio presentis vita cælitus prefixo, in illa vitâ tandem quiescamus, ubi quies sine interturbatione, gloria sine labe, vita sine fine eternum est futura, in Christo Jesu unico nostro Servatore. Cujus meditandi materiam amplio rem nobis exuvia Nobilis & Beati STEPHANI nostri, ad horam .i. in templo Jacobæo humi demandande suppeditabunt; quas ut Academia nostra Cives litteratissimi, officij & affectus sui memores frequentia & presentia honorificâ cohonestent, atq; mortem non tam, ut sensibus videtur, Malum horrendum, quam, ut fide percipitur, Bonum preciosum esse devoti animis recogitent, majorem in modum contendere. P P, Rostochij 27. Octobr. Anni 1609.



NÆ-



N Æ N I A

In Immaturum Obitum

NOBILISSIMI VIRI JUVENIS,

Dn. STEPHANI Schüken.

Sic est! nil quicquam constans, durable, firmum
Hoc remanet, quo jam jam stetit ante loco.

Omnia sunt hominum, fragili pellucida vitro,
Moxq; cadunt subitâ, quæ valere, nece.

Non secus ac Curvo flores scinduntur aratro,
Qui mox florebant vividiore loco.

Sic homo procumbit medijs succisus in annis
Qui modo vivebat sanus & incolumis.

Heu qd multa queror? testatur id aspera | Shutz | I
Funera, & miseris funera flenda modis.

Non longũ est sospes teneras dum carperet auras
Jam videas gelida succubuisse neci.


O P A R C Æ celeres! **ô F A T I** immitia jura!
Cur juvat in Juvenes figere tela viros?

Dicite quid nocuit? cur diro funere mersus
SCHVTZIVS is studijs & pietate gravis?

Cur

Cur non in vulgus quod nil nisi inutile pondus
Est terra, mortis spicula dirigitis?
Ast Ego quid (demens) sic ingero iurgia Parcís,
Dum sic res placuit, qui regit astra, DEO.
Cunctis communis peragendi terminus aevi
Vel citò vel tardè mors nigra quemq; vocat.
Nostra Deo saltem submittant pectora sese
Ipsus pro nobis, quod facit omne facit.
Hauserat è sacris solatia talia Libris
STEPHANVS, ob Rosea viva corona rosa.
Ergò nil metuens mortem, nil tela nociva
PARCARum, intrepidè mortis obibat onus.
Omnis in aeterna stabat modo cura salute
Mors instar somni, non necis instar erat.
Lucifer ut fulget, sic noster fulget Olympo
SC Huius aeternum concelebratq; Deum.

Ponebat
JOHANNES CUSELIUS Lubecensis.



ALIVD.

C Aduca vita & fluxa, laboribus
Obnoxia inde à matre gravissimis
Quid est? quid! instar fertur Istri,
Ceu rapidi fugit unda Rheni:

Hujus

Hujus fugacis labile seculi
Flumen volucris deproperat fuga;
Est nil, nisi ærumnosa duris
Cimba Notis agitata in alto.
Non candor oris, neu roseus color
Deflectet atræ sævitiam Deæ,
Non forma quicquam, nil movebit
Attalidis opibus valere.
Ergò nec ætas nec pietas tua
Sancta haut fides, quæ est justitiæ soror
Mi SCHUTZIAMICE, hem triste fatum
A teneris pepulit lacertis!
Decedis heu! heu flebilis occidis:
Decedit unâ funere sub tuo
Jam jam mea hinc omnis voluptas
Quæ lachrimas gemitusq; reddit.
Exemplar es tu mæstificum mihi,
Efflentur ocli: metua funera
Ducunt ad orcum luctuosum;
Tristis amarities cor exest!
Sit luctuosus jugiter hic dies
Nobis! Cito ô qui mentibus integris
Gaudes, avitos fume mores:
Fleto mei STEPHANI malignam
Mortem modo: quam Relligio plorans
Luget peræquè, nunc Pietas gemit.
Dequesta mortem funerati
Tam subito. Truculenta Clotho
Cur non vacillans vel vetulæ caput?
Cur non inertemve in baculo senem.
Cur non relictum speq; req;
Eripuit potius! Sed. Eheu!

B

Eheu

Eheu nimis trux Persephone! ô furor
Extremus! ingens ah dolor! ah dolor!
Heu! Heu feræ vis mortis! astra
Cæli inamabilia ô superni!
Ast sit querelis, sit lachrymis modus;
Dum nemo in hoc pol natus homo est, ut haud
Necesse denasci sit. Ipsi
Tardius huic citius venit mors.
Ecquis resistat consilio tuo
JEHOVA? Soli hoc sic placuit DEO,
Parere fatis nos decebit,
Carius his nihil expetamus:
Jussu JEHOVÆ scepra sua Atropos
CLOTHOq; torquent, SCHUTZIUS interim,
Ereptus omnibus periclis,
Lætitia fruitur pœremni.
Namq; occupavit verticem olympicum,
Perfusus altâ coelituum face,
Cognoscit exactè DEUMq;
Cernit & æthereos QUIRITES.
Fortescet ac se vincier abnuet
Cantore ab ullo cum modulabitur
Pœana diùm. His SCHUTZI amice,
Terq; quaterq; vale. Valetō.

*Plangebat animo condolente amicorum
ocello dum esset in vivis*

HENRICUS Bleeke Hambur-
gius Saxo.

Quas



ALIVD.

Quas quaso inferias qua solvã munera amice?
Præ gemitu & lacrymis nescio enim quid
agam;

Quem mihi fraterni devinxit vinculo amoris
Mensa, quid hunc taceam? ferreus essem
equidem.

Tu mihi præ reliquis vera probitate placebas,
Inscium erat fraudis pectus & ora tibi.
Vera tu pietate Deum de corde colebas,
Verbi erat ipsius sedula cura tibi.

Et templo poterant te, nec retinere procella,
Nec frigus quamvis esset acerbum adeo.

Ab indignus eras medio quem flore juventa
Præpropera raperet mors inopina manu.

Hos raperet potius quorum nec vita pudica est,
Nec mores aliqua cum pietate boni.

Caca sed humani sic judicat usq; cerebri
Divini ratio nescia consilij.

Nam rapit ex vario miserarum turbine rerum
Quos est amplexus patrio amore DEVS.

Sic etiam ante diem STEPHANE hunc disce-
dis ut illis

Qua nos forte manent eriperere malis.
O faticem igitur totoq; ex asse beatum?
Sunt tibi pro tristi gaudia vera statu.
Hic labor, hic varij subeundi corpore morbi
Istic lata quies, lata simulq; salus.
Isthic & verè datur (ò jucunda voluptas!)
Amplexu Christi colloquioq; frui.

Lugens fecit convictori suo
suavissimo,

PETRVS D. F. LOBECHIVS.



ALIVD.


Humana est brevis vita! bonum nam lilia campi
Sicut mane virent, & vespere falce secantur.
Sic etiam è medio tolluntur plurimi in auras.
Non opus exemplis: florum flos floridus ipse.
Exemplum STEPHANUS sat flebile præbuit: alto
Qui celsum quamvis à stemmate traxerit ortum,
A primis etiam musas adamaverit annis,
Arserit & vero veræ pietatis amore,
Supremi servans mandata, verènda parentis.
Non tamen ætati viridi, & juvenilibus annis,

Non stir.

Non stirpi, ingenij non dotibus, & pietati
Parcere quæ nunquam didicit, fera Parca pepercit
Flete ergo Chari, defunctum flete sodales.
Verum ita flete, pij ceu flere jubeatur amici,
Non, etenim perijt; sed læta in pace quiescit.

Lugens posuit

THEODORVS ELERVS Riga Livon.
LL. Stud.



NVM mæstis lacrimas lacrimis decet addere
eorum,

*Qui dicunt: Stephane heu occidis ante diem?
Ante diem, statuit quam provida cura Jehova,
Nec passer poterit tegmine decidere.*

Ante diem & minimè dicendus obire, supremum

Qui vitæ finem cum pietate facit

Nil opus est igitur lacrimis ob funera Schutz;

Qui mundi liquit castra vocante DEO;

Quamq; diu vixit divini vivere ductu

Mandati studuit, gnæviter absq; dolo.

Ac spem conceptam servavit corde fideli,

Cujus & extremo signa in agone dedit.

Ergo gratari potius nunc Schutzio oportet

Quod mortis potuit vim superare fide.

JOACHIMVS PRÆTORIVS Neobrand, Megap.

B 3

Vita

ALIVD.

Vita quid est hominum? flos candidus umbræq; vita est,
Ut recte vitam dixeris esse viam.
Nam velut æstivo venientes tempore flores
Flatu brumali vel crepitante cadunt:
Haud aliter nostri cursus rapidissimus ævi
Fatis immitti flantibus ore cadit.
Et velut umbra perit Phæbæa luce remota,
Vere sic hominum vita caduca perit.
Ut vix vita scias quid sit, nam vivere quando
Incipimus dextrè, vivere desinimus:
Hæc STEPHANE illustris quondam virtutis avitæ
Hei tua cumprimis mors inopina probat.
Siccine deflores ipso sub flore juventæ,
Qui verum solitus semper amare DEUM?
Siccine tu recti cultor, pietatis amansq;
Ante diem justum tristia fata subis?
Te luget pietas, probiras, Concordia honestas:
Te lugent nostræ clara theatra Scholæ:
Dignus eras equidem grandævi Nestoris annis,
Parcere sed Parcæ non voluere tibi.
Verùm te nitidi torquet qui sidera cœli
Noluit in mundo mille subesse malis.
Ergo te duxit convexa ad moenia cœli,
Nulla ubi tempestas nulla ubi sævit hyems.
Non fragiles ibi fers artus, floresve caducos
Quales hic messor demere falce solet.
Fortile sed germen cantando grata Jehovahæ
Carmina cum rutili gente micante poli.

Imo

Imo exangue quidem corpus tellure repostum est,
At servit vitæ spiritus ipse Deo.
Ergò age jam lætus tandem, frons optima, vultus
Indue, tristitiæ caussa ubi nulla tuæ est.
Quid tandem insano juvat indulgere dolori
Quid curis animum jam macerare juvat?
Nam revocare gradum nostrasq; evadere ad oras
Illinc quis posset quisve etiam cuperet?
Namq; animam placidam placidè subduxit, & alto
Est cœlo melior pars data, corpus humo.
Hisce pij, manes salvete iterumq; valetè,
Æternum potuit quæ mea Musa dabat.


*Johannes VVagenerus
Brunopolitanus.*



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.







invo parentum & amicorum consilio adiit, in quibus
rum artium & pietatis vera fundamenta feliciter
ga praeceptores observantiam, & in studijs indust
probat. Nec à seipso fuit diversus, dum per a
stram Illustrem Scholam, tanquam ad uberio rem
tum concessit. Et quae duae res maximè commel
Pietas & Modestia; ea ambae in ipsius pectore
bant. Pietatis indicium esse nobis omnino per
eisi animum ad augustissimum Jurisprudencia
rat, majore tamen Codicis Biblici, quam Justin
dio efferretur. Ad Modestiam omnes ejus er
positi, unde & alij, quibus usus est familiarissim
Reverendus & Doctissimus Vir, M. P & C
KELMANNVS, de Ecclesiâ Christi jamdua
ritus, atq; deinceps amplius, quod in votis habemu
micus noster honorandus, cujus erat convivor & de
teris habuit charissimum, ut, si Deus nostro STE
vitam ad plures annos clementer prorogasset, utile
clesiæ Dei & Reipub. Christianæ ac literariæ evasi
Verum divina atq; ineluctabili sapientia aliud
solum, dum hunc Nobilissimum juvenem in ipso su
afflictissimâ Academiâ in latissimam Beatitudina
sult, ut isthic æterna & cœlesti gloria nobilitatus,
justorum cœtu Candidatum, imò verò & Doctore
ret, experimento scil. jam edoctus, quod Propheta
vit: Colliguntur justi & veniunt in pacem, & req
libus suis, quia rectè ambularunt. Nolim autem
NES florentissimi, mirari, quod non potestis ri
sa sit, quare Deus vestri hujus Nobilissimi comm
secarit celerius, tardius aliorum abruptat. Se
digitat portum ab omnibus petendum, à nemine
quem se quis intra primos annos est delatus non
bere, quam qui cito navigio in portum venit.

A 3

